



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 54. Polonorum tumultuaria molimina contra Augustum Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

ratus Urbes munitiores unacum Sæc. XVII. A. C. 1704.
 Kuffsteinio Cæsari cederentur, excepto Monachio, ubi everfis novis munimentis, bellique tormentis Cæsari relictis Electrix cum prætoriam quadringentorum cohorte, salvo etiam thesauro Electorali morari, atque ex Monacensis Præturæ redditibus vivere posset, omnes autem milites, qui Cæsari fœderatisque merere nolint, exauctorentur, captivis utrinque libere dimissis. Electori vero Bavaro administratio Belgii, quo confugerat, sub Vicarii Generalis titulo a Philippo Hispaniarum Rege concessa est: Marleburgo autem Cæsar Mindelheimensem Dynastiam donavit, transmissoque militaris Imperii baculo admodum pretioso eum Imperii Principem creavit, adjecta epistola gratulatoria, quam ad calcem hujus tomi subjungimus.

§ LIV.

Polonorum tumultuaria consilia contra Augustum Regem.

Nova indies incrementa cepit factio Theatr. Europ. t. 17. pag. 223.
 eorum, qui instigante Suecorum Rege Augustum Poloniæ Regem solio
 disturbare moliebantur. Hi ergo die trigesima Januarii Varsaviæ comitia habent, in quibus Cardinalis Radiows-

N 5 kius

Sæc. XVII. kius Regni Primas conscenso Regis
 A. C. 1704. throno fœderatorum Mareſcallum ex-
 cepit, vehementer querentem, quod
 ejus Oratores in Lublinenſi Conventu
 vilipenſi fuiſſent, poſtea patriam Regiis
 copiis devaſtatam fuiſſe referens, ſub-
 junxit, ſe nihilominus Regi ſuo fidem
 ſervaturum, dummodo Primas patriam
 ab excidio præſervandi media offerret.
 Re ultro citroque perpenſa fœderati
 Poloniæ Regem eſſe exauctoratum,
 thronum vacare, & ſubditos ab obe-
 dientia ſolutos eſſe declararunt, eoquod
 Auguſtus Rex moto in Suecos bello &
 fœdere cum Moſcis inito regnum ex-
 tremis calamitatibus involviſſet, Gal-
 liſque Oratoribus contemptis, oppreſ-
 ſiſque Polonis Nobilibus exteros pro-
 moviſſet, & Lutheranis in Regnum
 inveſtis incolarum calamitates Saxoni-
 cis copiis auxiſſet, ac denique ſeorſim
 a Republica pacem, & de immutando
 Reipublicæ ſtatu tractatum cum Sueco
 contra pacta conventa inire molitus
 eſſet. Eapropter Primatem rogarunt,
 ut Interregnum promulgaret, ac inte-
 rim Regni habenas moderaretur. Die
 autem tertia Februarii Rex Cracoviam
 venit, habitoque Senatu Varſavienſes
 fœderatos rebellionis reos declaravit,
 & Jacobum defuncti Regis Filium una-
 cum Constantino ejus fratre per Sile-
 ſiam

fiam Varſaviam properantem, cum Sæc. XVII.
 hunc a Sueco in novum Regem expeti A. C. 1704.
 noſſet, rapi juſſit, & in Saxoniam ab-
 duci: Ne vero hac ſeveritate cetero-
 rum animos exulceraret, in præfatis
 comitiis literas prælegi præcepit, qui-
 bus Cardinalis Primas & Princeps Ja-
 cobus necnon præcipui Nobiles contra
 Regem fœderati omnia extrema moliri
 convincebantur. His auditis Regi fa-
 ventes ad ejus defenſionem bona & vi-
 tam obtulerunt, Moscoviæ etiam Dux
 datus ad comitia literis ſe Auguſto Regi
 omnibus viribus adfuturum ſpon-
 dit. Inde vero magis exacerbati Poloni re-
 belles, diploma querelis, & convitiis
 contra Regem ſcatens promulga-
 runt, cui tamen Rex aliud, quo ſuam
 innocentiam, juſque egregie vindica-
 bat, oppoſuit: nihilominus fœderati
 Sueco pacis conditiones omnino ac-
 ceptas eique proficuas obtulerunt, quas
 tamen ipſe, donec Rex omnino ex-
 auctoratus eſſet, acceptare recuſavit,
 interim vero Elbingam, Thoronium &
 Maimburgum ſubjugavit.

§. LV.

*Summi Pontificis anxietas & labor in
 hiſce motibus.*

Inti-